E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi
a venerabili
Carolo Funk
theol. doctore et gymnasii directore
a. 1857 hereditate relictis.

C. 9. 14.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-737549-p0002-7

67

Q. D. B. V.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

# USU GRÆCÆ LINGVÆ,

PERMITTENTE AMPLISSIMA

FACULTATE PHILOSOPHICA,

*d. XXVI MAJI MDCCVI*

A PRÆSIDE

M. JOH. VVOLFGANGO Trier,

*MOERA FRANCO,*

ET RESPONDENTE

PHILIPPO JACOBO Lindner,

*LIPSIENSI*

PUBLICO EXAMINI SUBJICIENDA.

---

*LIPSIÆ,*

LITERIS FLEISCHERI JUNIORIS.

VIRO
*EXCELLENTISSIMO ATQUE JURISCONSULTISSIMO,*
DOMINO
**JOH. CHRISTOPHORO TRIERO,**
*SERENISSIMO DUCI SAXONIÆ*
**ERNESTO LUDOVICO**
A CONSILIIS AULÆ ET JUSTITIÆ,
MULTIS MERITIS INCLYTO,
ET
VIRO
*PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,*
DOMINO
**M. LUDOV. CHRISTIANO CRELLIO,**
SS. THEOLOGIÆ BACCALAUREO, FACULTATIS PHILOS. ADSESSORI, MIN. PP. COLLEGII COLLEGÆ ET SCHOLÆ NIC. RECTORI LONGE MERITISSIMO,
*DOMINIS SUIS, MÆCENATIBUS, PATRONIS AC PRÆCEPTORI*
PERPETUA PIETATE VENERANDIS
*HANC GRATÆ MENTIS TESSERAM*
DICAT

DEVOTISSIMUS IPSORUM CULTOR,
PRÆSES.

## §. I.

QUæ ubique fere conspicitur opinionum inter homines diversitas, eandem ab hac etiam materia non abesse constat, de qua pro exiguis viribus nostris pauca quædam, non ut volumus, sed ut possumus, commentabimur. Multi lingvam græcam summis laudibus ornant, nonnulli ejus ignaros doctorum virorum nomine prorsus etiam indignos judicant: (A) plurimi e contrario ita hanc lingvam contemnunt, ut ipsius aut nullam, aut certe longe minimam utilitatem esse arbitrentur. (B) Videbimus, si homines tam diversa sentientes consideremus, illos fere, qui græca literatura tincti sunt, semper eam summa laude efferre solitos esse: at qui aut nullam, aut nimis levem ipsius cognitionem nacti sunt, odisse ac contemnere eam, nec minores querimonias agere de tempore, si quod his studiis in juventute tribuerunt, quam si illud aleæ impendissent, ibique præter tempus magnam quoque vim pecuniæ perdidissent. Nos, remoto omni intempestivo & amore & odio, in hac dissertatione, quibus quantamque utilitatem hæc lingva afferre possit, Deo favente, expendemus. Cumque eruditionis alicujus gloriam ob tenuitatem virium, quæ voluntate nostra multis modis inferiores sunt, assequi nequeamus; hanc tamen laudem mereri, quantum fieri potest, studebimus: nos ab illorum hominum instituto longe abfuisse, qui, si quam rem commendandam sibi censuerunt, nimiis illam laudibus ultra meritum extollere, atque omnia, quæ tantis encomiis obstant, rejicere ac negare cœco affectu solent.



(A) Ægy-

(A) Ægidius Menagius dixit: a) *sine hujus linguæ cognitione non nisi semidoctum aliquem evadere posse.* Josephus vero Scaliger affirmare non dubitavit: b) *literas græcas qui nesciret, hunc se omnia putare nescire.* Nec minora encomia huic lingvæ tribuunt illi, qui peculiaribus scriptis eam commendant: e quorum numero binos tantum nobis videre licuit, PETRUM FRANCIUM *in oratione de usu & præstantia lingvæ græcæ*, c) & GEORGIUM ANDREAM IMHOFIUM *in Politico græco*, d) quæ est oratio, Politico græcam lingvam addiscendam esse asserens. Ex utroque horum scriptorum locum unicum testimonii causa proferemus. Francius ait: e) *Est lingva græcanica reliquarum non tantummodo præstantissima, sed & aliarum omnium, Europæarum certe, parens quædam clarissima, unica ad solidam eruditionem via, artium denique ac disciplinarum omnium fulcrum ac fundamentum. Ubi illa viget, vigent & studia: ubi illa jacet, meræ sunt tenebræ, & una cum illa jacent atque exulant literæ.* Ex Imhofio hæc accipe: f) *Politica studia sine græcis literis* (græcam lingvam intelligit) *degustari fortasse possunt, hauriri non possunt.* Vide, quantis laudibus viri doctissimi græcam lingvam commendarint, ut alios ad ipsius studium allicerent: quam formosas hederas suspenderint, ut vino nostris temporibus fere invendibili emtores adducerent.

a) Menagiana Tom. II. p. 32. b) teste Saalbachio in methodo studiorum p. 170. c) inter orationes ipsius quinta. d) edito Norimb. 1658. e) p. 107. edit. secundæ. f) p. 156.

(B) Pauciſſimis græcæ literæ tam pulcræ tamque amabiles visæ sunt, ut Scaligeri, Francii, & aliorum, qui tam ardenti amore ipsas coluerunt, rivales esse voluerint. Nolumus hujus rei testes citare. Qui testimonia desiderat, interroget viros horum studiorum expertes: inter quos haut pauci respondebunt, esse hanc lingvam nemine, nisi Pedanta, dignam, nullum esse ipsius usum, nisi in Pedantarum grege. Si fateri, quod res est, volumus, lingva græca neque osorem, nisi ignorantem, neque laudatorem fere, nisi ipsius gnarum, habere videtur: id quod in multis aliis etiam artibus ac scientiis fieri solet.

§. II. Ante vero, quam usum hujus lingvæ expendamus, pauca præmittenda esse ducimus, quæ ad naturam ejus potissimum pertinere videntur. Lingva græca, de qua agimus, est lingva mortua, nec quisquam hodie populus ea in sermonibus suis utitur, sed in libris tantum vivit, quorum ingens numerus per eruditum orbem partim manuscriptorum, partim typis impressorum re-

reperitur. Lingva est haut admodum facilis: præter eam enim difficultatem, qua omnes lingvæ mortuæ laborant, peculiaria etiam quædam habet, quæ difficiliorem ipsam reddunt, fugiensque laboris seculum ab ejus studio deterrent. Quo refero varietatem dialectorum, singulare & mirum poëtarum scribendi genus, anomalorum frequentiam, ingentem vocabulorum copiam. (A) Ceterum abundat hæc lingva scriptoribus multo præstantissimis, quorum in omnibus artibus & scientiis non contemnenda est utilitas: videturque affirmari posse, majus reipublicæ literariæ damnum fore, si omnes libri græci, quam si latini libri veteres omnes interirent. Illorum tamen plerique latina etiam lingva legi possunt: quæ quidem res faciliora reddere græcæ lingvæ studia debebat, sed contra intentionem primorum interpretum iis incredibiliter obfuit. (B)

(A) Camerarius dicit: a) *Græci nihil reliquerunt sine nomine, gens dives vocum.* Ingens hæc vocabulorum copia e lexicis elucet: quæ tamen adeo imperfecta sunt, ut Tanaquillus Faber, teste filia Anna, b) quatuor millia, nisi fallor, vocabulorum in lexicis omissorum collegerit. Non dubitamus, si quis eundem in colligendis græcis vocabulis laborem suscipere velit, haud contemnendum ipsi spicilegium relictum fore. Defectus hos græcorum lexicorum ii maxime non sine molestia, sæpe etiam non sine impatientia sentiunt, qui veterum poëtarum, Tragicorum inprimis Comicique opera evolvunt.

a) in commentariis utriusque lingvæ p. 125. b) alicubi in commentariis ad Callimachum.

(B) Certissimam studiorum perniciem & eruditionis brevi interituræ præsagium interpretationes latinas esse judicavit Scaliger filius. a) At Joh. Clericus hac in re a Scaligero abit, cujus verba subscribere operæ pretium videtur: *Scio,* inquit, b) *me loqui contra sententiam virorum doctissimorum, qui interdum graviter conquesti sunt, quod versiones latinæ e regione græcorum adderentur, quibus ajebant impediri, ne græca legerentur. Sed, pace tantorum virorum, multo minus legerentur græca sine translationibus, quam, iis additis, leguntur, cum certum sit, plerosque iis indigere, ut græca legere possint. Non sunt fingendi homines, quales non sunt, non erunt: sed eorum utendum ingeniis, prout sunt.* Videtur vir clarissimus in idem incidere vitium, quod in aliis

reprehendit: fingit enim homines, quales non sunt, non erunt. Namque ea est consvetudo fere omnium, ut aut solam legant versionem, neglecto sermone græco, aut si græca etiam legant, ad laborem tamen minuendum minus sæpe, quam oportebat, lexicon evolvant: unde fit, ut nunquam solidam in hac lingva eruditionem consequantur. Non autem juventus nostra, ut ipse fingit, c) ad hunc tantummodo finem versionibus uti consuevit, ut earum ope voces jam quæsitas, sed e memoria elapsas, in eam denuo revocet, utque constructionem &c. verborum themata facilius inveniat. Cum itaque juventus talis non sit, qualem ipse supponit, ea etiam, quæ hoc fundamento innituntur, sponte sua corruunt.

a) teste Francio l. c. p. 130. b) in arte critica p. 85. c) p. 87.

§. III. Usus græcæ lingvæ apud veteres Romanos seculo aureo major fuit, quam latinæ his nostris temporibus. (A) Nam fere omnes libri, e quibus solida eruditio hauriri poterat, ante Ciceronis ævum græco sermone erant scripti: plerique, certe præstantissimi doctores, qui vivebant Romæ, Græci natione erant: cives etiam Romani liberos suos, quos bonis artibus sapientiaque imbui volebant, Athenas vel Apolloniam, vel alias in urbes Græciæ mittebant, ut eas ibi literas addiscerent, quæ nondum in Italia florere inceperant. Accedebat præterea, quod in provinciis vasti imperii Romani multo magis Græcorum, quam victricis gentis lingva cognita esset: unde necessarium omnino erat, ut cives potentissimæ hujus urbis notitiam græcæ lingvæ sibi adquirerent, eaque tanquam vinculo tot populorum uterentur; quamvis in publicis negotiis nunquam peregrinam lingvam adhiberent. Homerus illo ævo tantum pretium obtinebat, ut omnes, qui paulo doctiores essent, ipsius opera assidue manibus tererent: nec paucis illius seculi viris, ut ex operibus eorum patet, magis familiaris fuit hic poëta, quam multis inter nos, licet ex theologorum ordine sint, sanctissimi codicis scriptores esse consueverunt.

(A) Summa græcæ lingvæ utilitas movebat M. Catonem, ut in senectute etiam sua illam disceret. a) Multi inter Romanos latinæ eam diserte præferebant, licet quælibet natio suam plerumque lingvam præ ceteris efferre

efferre maxime nitatur. Horum sententiam verbose defendit Fabius, b) eandemque Ciceroni mentem fuisse, ipse multis in locis testatur. Sed non defuerunt tamen, qui laudi hujus lingvæ illis etiam temporibus detraherent. Putabant nonnulli, cum lingva vitia quoque Græcorum, mollitiem, levitatem, loquacitatem, vanitatem, mores ad adulandum & ad fallendum compositos, & quæ sunt ejusdem generis plura, perdisci: quorum tamen objectionibus trita distinctione interusum & abusum facile responderi poterat. Exemplum oris græcæ lingvæ in Mario habemus, qui non modo non turpitudini, sed laudi etiam sibi duxit, græca non didicisse. c) Causa hujus odii non in eo posita erat, quod lingva græca revera cognitione ipsius indigna esset: sed quod communi vitio eorum hominum, quorum animis dira ambitio insidet, ea, quæ ipse ignoraret, alto supercilio contemneret, ne nimirum præclari quid nesciisse tantus imperator videretur. Cicero quoque, oratoris pater, dixit: d) *Romanos similes esse Syrorum venalium, ut quisque optime græce sciret, ita esse nequissimum.* Quod vero dicterium hodie locum habere nequit, nec quisquam propterea a græcæ linguæ studio deterreri debet.

a) Cicero Quæst. Acad. lib. 1. p. 19. b) Inst. Orat. XII, 10. c) Sallust. bello Jug. c. 85. d) Cic. de oratore lib. 2. p. 239.

§. IV. A priscorum Romanorum, qui græcam lingvam summo studio excolebant, opinione posteri ipsorum multum discesserunt. Post Augusti excessum in plerorumque animis, qui ante fuerat, literarum amor in dies magis decrescebat: majorique ardore sub sequentibus imperatoribus Romani panem & Circenses ludos, quam doctrinam anhelare incipiebant. Lingva græca paulatim desinebat esse vinculum gentium, quod assuetæ Romanorum imperio gentes lingvæ etiam ipsorum assuescerent. (A) Fatalis tandem ut ecclesiæ & omni literaturæ, ita græcis quoque studiis fuit translatio imperii in orientem a Constantino magno facta. Cum enim paulo post Græcia ab occidentali Romanorum imperio penitus separaretur, in eaque peculiare imperium oriretur, Itali vero imperatores horrendis peregrinarum gentium irruptionibus resistere soli non possent, factum est, ut quæ scintillæ etiam harum literarum in occidente supererant, cum ipso imperio Romano occidentali penitus fere extingverentur.

tur. Papa inter has turbas ſtabiliebat potentiam ſuam, & quo magis illa creſcebat, eo magis decreſcere ſtudiorum amorem neceſſe erat: neque enim patiebatur clericorum imperium, quod non niſi in tenebris dominari poterat, ut caligo in hominum mentibus diſcuteretur. Inde fiebat, ut usque ad Reformationis tempora nullus, certe exiguus, in occidente græcæ lingvæ uſus eſſet.

(A) Cum latina lingua longe lateque ſe extenderet, neceſſe erat, ut græca magis magisque anguſtis Græciæ finibus coarctaretur. Idem accidebat his duabus lingvis, quod monarchiis olim accidit, quodque caſeo ac vermibus accidere conſuevit: creſcente una, decreſcebat altera, uniusque propagatio cum deſtructione alterius conjuncta erat. Quid quod in ipſa Græcia Plutarchi tempore, ut ipſe refert, a) omnes fere latinam lingvam callebant. Tantum vero pretium, quod lingvæ latinæ acceſſerat, non impediebat, ne inter eruditos græcæ etiam ſuus honos haberetur. Fabius, b) qui Plutarchum ætate non multum anteceſſit, ſuo adhuc tempore volebat, ut a græca lingva puerorum ſtudia inciperentur: neminemque eruditi illius temporis in ordinem ſuum recipere dignabantur, niſi qui his literis imbutus eſſet, haut ſecus ac hoc noſtro ſeculo eos, qui lingvæ latinæ expertes ſunt, virorum doctorum titulo indignos eſſe cenſent.

a) Platon. quæſt. p. 1010. b) Inſt. Orat. I, 4.

§. V. Interea in Græcia, quæ imperatorum ſedes facta erat, literæ haut multum acrius, quam in Italia, a barbaris gentibus oppreſſa, colebantur. Ipſa etiam græca lingva, quæ tamen illarum regionum vernacula erat, ſenſim decreſcebat, & a priſca puritate ac nitore immane quantum degenerabat. Donec tandem ſeculo decimo quinto Turcarum natio Græciam ſub jugum miſit, ac craſſiſſima barbarie horrendisque tenebris omnia involvit. Noſtrisque temporibus ita corrupta eſt in illis regionibus græca lingva, ut incredibile inter hanc veteremque illam diſcrimen intercedat. At dum Græcia, præſtantiſſimarum artium inventrix & altrix, alta caligine opprimitur, nova lux oritur in Italia. Doctiſſimi enim viri huc ex illis terris fugiebant, ibique cum aliarum literarum, tum inprimis græcæ lingvæ ſtudia reſtaurare

rare nitebantur. Nec respuebant Itali tantum beneficium, sed viros doctos illos fovebant, & post diuturnam noctem avide promicantem lucem excipiebant. Incipiebat tum iterum græcæ lingvæ in occidente usus esse. In Italiam translatam esse diceres Græciam, haut secus ac olim Constantini magni temporibus, qui Byzantium Romæ quam simillimum effecerat, Italia in Græciam translata visa fuit. Illic græcæ literæ florebant, hic languebant & penitus fere extinguebantur. Nec Alpium limitibus contineri poterat, sed hos quoque Græcia transvolabat, (A) ut in Gallia, Germaniaque nostra, atque aliis etiam regionibus hæ literæ feliciter resuscitarentur.

(A) Cum Argyropylus, natione Græcus, Capnionem Romæ locum aliquem Thucydidis interpretantem audivisset, ad auditores conversus cum admiratione & gemitu, *Ecce*, inquiebat, *Græcia exilio nostro alpes transvolavit.* a)

a) Possellius in dedicatione Syntaxeos.

§. VI. Doctissimi viri, qui bonas artes restaurabant, incredibilem barbariem universalemque græcæ lingvæ ignorantiam in monasteriorum cancellis, quibus omnis illorum temporum eruditio continebatur, inveniebant. (A) Ingens autem bonis viris illis lucta cum turpissimo barbariei monstro suscipienda erat, quippe quod, fatale sibi tempus jam adesse sentiens, manibus pedibusque obluctabatur. Neque tamen impediri poterat ullis viribus, ne nobiles hujus monstri hostes tandem vincerent, ac cum summa bonorum omnium lætitia triumpharent. Si verum fateri volumus, hæc artium literarumque restauratio, atque inde secuta commoda post Deum græcæ lingvæ maxima ex parte debentur. Viri enim natione Græci, qui capto Byzantio in Italiam fugerant, ibique suam docuerant lingvam, luci omni tum in literis, tum in religione postea exortæ felix initium fecerunt. (B)

(A) Quanta fuerit monachorum in græcis literis ignorantia, neminem, qui paulo illorum temporum historiam inspexit, fugere potest. Tritissimum eorum proverbium erat, *græca sunt, non debent legi:* Me-

lius dixissent, *non possunt legi*. Patres græci inter ignavos hos patres aut erant nulli, aut si erant, tamen ab illis nec intelligi, nec legi poterant. Quid accentus græci, ab ipsis titelli ridicule vocati, sibi vellent, prorsus nesciebant. De Homero multi nihil ne fando quidem audierant. Hæc omnia & alia plura Ulricus Huttenus strenue, & ut fortem equitem nationis Franconicæ decebat, in epistolis obscurorum virorum perstrinxit. Et licet non diffiteamur, Huttenum haut pauca finxisse: si tamen illorum temporum statum perpendamus, videbimus, nihil tam absurdi ab ipso excogitari potuisse, ut monachi non absurdiora, aut certe æque absurda perpetraverint. Causa tam fœdæ ignorantiæ præcipua erat pontificis Romani monarchia ecclesiastica. Quid mirum itaque, si illis temporibus, quibus Romanæ sedis potentia in immensum creverat, summa quoque erat rerum omnium, & inter alias etiam græcæ lingvæ ignorantia? Vix satis mirari possumus, religiosos patres in tanto otio novi fœderis sermonem penitus neglexisse. Sed pugnabat illud tum cum ipsorum ignavia, tum cum ratione status papalis. Et ne quem forte monachum cupido salutis nostræ mysteria in græco hebraicoque fonte scrutandi incederet, supremus eorum pastor providum consilium mature ceperat, ut nimirum vulgatum interpretem eodem, quo seipsum, jure ab omni errore absolveret. Si etiam alicui divino quodam afflatu in mentem venerat, studiis his tempus aliquod, licet exiguum, tribuere, reliqui tamen religiosi fratres sollicite illud impediebant, quod ex universorum utilitate hæc lex promanaret: ne quis reliquis multo esset doctior.

(B) Miremur hac in re Dei providentiam, qui ex ruderibus Græciæ, ubi olim & literæ & religio optime floruerant, nostram voluit salutem nasci. Nec melius ullum aut efficacius principium tantæ rei esse poterat, quam græcæ lingvæ studium, quoniam ea lingva sanctissimus liber, fons salutis nostræ, scriptus est, cujus restitutio omnino necesse erat, ut hæc omnia præcederet.

§. VII. Supremum Numen pro infinita benignitate sua finem tandem hisce tenebris facere decreverat: unde, fremente licet papa ejusque religioso agmine, lucis tamen fulgor non sine miraculo magis in dies prorumpebat, oculosque adsuetorum tenebris papicolarum perstringebat. Græca lingva seculo decimo sexto ita colebatur, ut nunquam sequenti ævo tantus in ea

ea addiscenda fervor fuerit. Testantur id doctissimi viri, qui ea ætate his potissimum studiis nobilitati sunt: testantur plurimi libri hac lingva impressi, quorum aliqui sine adjuncta interpretatione latina, plures eandem e regione additam habentes prodierunt. (A) Sed licet ardor ille in græcis literis colendis, ut jam diximus, sensim imminutus fuerit, nunquam tamen defuerunt viri, qui eas literas suo pretio æstimare nossent. Ut enim longinquiora tempora taceamus, hac nostra ætate græca lingva per maximam Europæ partem cultoribus suis non destituitur. Omnibus aliis populis palmam præripere videntur penitus toto orbe, sed non literato orbe, divisi Britanni: hi enim & virorum in his literis excellentium copia, & præstantissimis autorum veterum editionibus adornatis summam laudem consecuti sunt. Inprimis augustissimum theatrum Sheldonianum, quod Oxonii est, unde tot nitidissimi accuratissimique libri græci prodeunt, abunde satis hanc rem probare potest. In Batavia, ut fuerunt semper in illa republica literæ cum mercatura conjunctæ, ita nostris quoque temporibus ibi reperiuntur viri, quorum in hac lingva eminet industria. Gallia, ut in aliis rebus, ita in hac etiam reliquis Europæis regionibus non multum vult concedere: quod inter alia interpretationes gallicæ multorum autorum græcorum testantur. (B) Neque inter Italos græcæ lingvæ cultura cessare constat. Dantur ibi multi homines e Græcia oriundi, qui lingvam majorum suorum alios docere consueverunt, unde fit, ut Venetiis, Florentiæ, Romæ, Patavii, aliisque in locis hæ literæ haut frigide colantur. In Germania etiam nostra semper fuerunt viri græca lingva excellentes, qui exteris difficilem omnino hac in re palmam reddere poterant. (C)

(A) Amor græcarum literarum, qui seculo decimo sexto fuit, inter alia patet ex crebra mutatione nominum germanicorum in græca. Ita *Melanchthon*, *Occolampadius*, *Capnio*, suavius sonabant illius ævi auribus, quam *Schwarzerd*, *Hausschein*, *Reuchlin*, ut plurima alia taceamus.

mus. Hunc morem patria nomina convertendi in peregrina falsè risit Molière in quadam Comœdia. a)

a) les importuns Acte 3.

(B) Interpretationes istæ Gallorum non omnibus eruditis placuerunt. Francius ait: a) *Galli pro lubitu addunt, demunt, sensum autoris, non ut is scripsit, sed ut ipsi scripsisse conjiciunt, repræsentant.* Credo, de multis horum interpretum forte idem dici posse, quod de seipso ingenue fatetur Voiturius, celebris apud illam gentem epistolarum scriptor. b) Is cum epigramma quoddam antiqvum, græco sermone scriptum, in gallicum idioma transtulisset, hæc verba subjicit: *converti hoc epigramma ex sermone græco, hoc est, ex græco & latino.* Suspicionem hanc non parum confirmant ea, quæ Menagius dicit, c) qui tamen ipse Gallus est: in omnibus nimirum Regis Galliæ ditionibus tres tantum suo tempore fuisse, qui græcos patres eo sermone, quo ipsi usi fuerint, legere potuissent. De seipso fatetur Menagius, d) nullum se unquam autorem græcum legisse, nisi adhibita interpretatione latina.

a) l. c. p. 130. b) Lettres de Mr. Voiture p. 240. c) Menagiana tom. 2. p. 32. d) l. c.

(C) Germani certe gloriari possunt, se post restauratas literas plures semper habuisse, qui græcos patres intelligerent, quam Galli tempore Menagii habuerunt.

§. VIII. Diximus, quodnam superioribus seculis lingvæ græcæ pretium fuerit, diximus etiam, quo in honore nostris adhuc temporibus illa habeatur: atque ita, *quis ejus* omni ætate inter doctos *reipsa usus extiterit*, vidimus. Superest, ut pari brevitate de usu, *quem*, si accuratius rem considerare velimus, *præstare possit*, aliqua adjungamus. Haut ita magnam ejus utilitatem esse, multis illud inter alia persuadet, quod fere omnes autores græci, qui typis impressi sunt, latina etiam gallicave lingva legi possint: nolunt itaque duas lingvas addiscere, quod eandem doctrinam unica se adipisci posse existiment. (A) Cui sententiæ quantum tribuendum sit, e dicendis clarius patebit. Necesse est, ut percurramus antea diversos status, qui sunt inter eruditos, atque, iis consideratis, certi quid hac in re statuamus: unus-

nusquisque enim facile intelligit, lingvam græcam pro diversis eruditorum statibus aliis majorem, aliis minorem utilitatem afferre.

(A) Hæc objectio non cœco impetu rejicienda est, sed expendendum, annon forte fundamento satis firmo innitatur. Fateor, majorem utilitatem ex ipso sermone autoris, quam ex interpretatione hauriri. Sed cogitandum, utilitatem hanc non semper tanti esse, ut ingenti jactura pretiosissimi temporis redimenda sit. Quæ enim sapientia esset viatoris, qui siti pressus aquam e canali bibere nollet, sed diutissimo durissimoque labore fontem ipsum, quod paulo purior ejus esset aqua, inquirere laboraret? Discere debemus in hac artium amplitudine, inque hac vitæ brevitate non quod utile est, sed quod utilissimum est: si enim omne, quod utile est, addiscendum esset, Hottentottarum & aliorum Americanorum populorum lingva commendari posset, cum nullum sit dubium, ex illa etiam utilia aliqua hauriri posse. Considerandus est scopus uniuscujusque, & reputandum, annon pro scopo illo interpretatio etiam latina aut gallica sufficiat. Potest enim accidere, exempli gratia, cum quis Scriptores græcos ob res historicas aut politicas legit, ut loca aliqua minus accurate versa non magnum dispendium causentur. Alia ratio est in scriptura sacra, libris medicis, de re militari agentibus, philosophicis nonnullis, & si qui sunt alii ejusdem generis. Neutiquam autem audiendi sunt illi, qui ideo interpretationes rejiciunt, quod omnis verborum elegantia, omnis suavitas lingvæ suavissimæ pereat, si pro græcis latina substituantur. a) Quis enim has voluptates, tantis molestiis emendas, nisi utilitas eximia eas comitetur, sectari volet? Regeret fortasse aliquis, lingvam græcam non tantis difficultatibus laborare, ut ego quidem dixerim. Sed qui hoc putat, is certe paucos scriptores græcos præter novum testamentum legisse videtur. Si græca lingva facilis esset, forte homines non tantum ab ea abhorrerent: fugiunt enim plerique a græcis libris, haut secus ac si frigidus ibi angvis lateret. Scimus etiam, viro cuidam doctissimo, memoriaque eximie valenti, qui omne vitæ tempus græcis maxime literis tribuerat, earumque summam sibi scientiam pepererat, in legendis veteribus poëtis haut raro aquam hæsisse. Causas hujus difficultatis supra adduximus. b)

a) Francius p. 130. b) §. 2.

§. IX. Studia noſtra plerumque a *latina lingva* auſpicamur. Videndum itaque, quis in ea addiſcenda e græca lingva uſus queat percipi. Eum vero haut contemnendum eſſe, unusquisque fatebitur, qui conſideraverit, plurima vocabula græca in latinis ſcriptoribus occurrere, & licet pleraque eorum civitate Romana donata ſint, ſæpe tamen patrio more flecti, multa etiam græcis literis ſcribi ſolere. Non tamen id volumus, neminem latinam lingvam accurate intelligere poſſe, niſi græcam quoque perfecte intelligat. Sufficit, ſi legere & flectere græca vocabula norit, eaque, ſi opus ſit, in lexico evolvere poſſit. (A)

(A) Nullius momenti eſt Ruperti a) & aliorum ſententia, qui eam ob cauſam neceſſariam eſſe in latinis ſcriptoribus legendis græcam lingvam arbitrantur, quod illi infinitos flores ſuis libris inſertos ex Homeri aliorumque græcorum hortis decerpſerint: quaſi vero lilia & violæ minus ſuavem naribus odorem ſpirent, ſi ignoremus, quæ ſylva, quisve hortus hos flores produxerit.

a) in methodo ſtudiorum Imhofii orationi juncta p. 177.

§. X. Inter *Theologos* hodie præcipuus græcæ lingvæ uſus viget. Ea enim novi teſtamenti liber ſcriptus eſt: quem ſi quis ex eorum ordine legere nequeat, haut magis theologi titulum tueri poteſt, quam Jureconſultorum nomen tuentur illi, qui formulas quidem innumeras norunt ſcribere, leges autem ipſas non intelligunt. (A) Nam non ſufficit paſtori animarum, ut, neglecta lingva ſpiritus ſancti, interpretationibus, quæ tamen illam nullo unquam tempore æquare poterunt, contentus vivat.

(A) Patet exinde, ineptum, imo impium eſſe conſilium Thomæ Campanellæ, qui Regi Hiſpaniæ, absque dubio, ut a papa gratiam ineat, ſvadet, a) ut ſcholis græcæ & hebraicæ lingvæ clauſis, lingvam Arabicam in regnis ſuis doceri jubeat ad convertendos Turcas. Pugnat hæc res directe & cum Dei gloria & cum animarum ſalute. Nos non ſolum theologis ſumme neceſſariam novi teſtamenti græci lectionem ducimus, ſed e laicis etiam eos, qui pio ſcopo illud legere diſcunt, ſumma laude dignos eſſe cenſemus. Ita fecit Comes quædam

dam ante aliquot annos, b) nec alii defuerunt tum inter viros, tum inter fœminas, qui hoc facerent: quamvis id raro usu veniſſe certum ſit. Facile etiam multi laici ad Dei gloriam illud facere poſſent, cum non adeo multum tempus requiratur ad intelligendum græcum teſtamentum, nemoque, qui illud legere novit, græcam lingvam ſejam omnem callere, opinari debeat. Quæri poteſt: an ſufficiat theologo græci teſtamenti lectio? Putamus, non ſumme neceſſarium eſſe, ut alios ſcriptores græcos evolvat, inprimis ſi in miniſterio eccleſiaſtico vivat, nec juventutem in theologia polemica aut eccleſiaſtica hiſtoria inſtituat: admodum tamen utile, id futurum non diffitemur. Multo enim certius de uſu & ſignificatu vocum Novi Teſtamenti ſtatuere poſſunt, qui in aliis autoribus non ſunt hoſpites. Scaliger filius c) dicit: *Nunquam plura apud ullos autores legi, quæ me magis ad interpretationem ſacrarum ducerent, quam apud Ariſtophanem.* Forte inter alias cauſas ob hanc quoque Melanchthon paulo ante mortem ſuam juventuti Homerum legendum commendavit. Excuſari itaque poteſt Melanchthon, nec iſta Homeri commendatio, quod a Gottfrido Arnoldo d) factum tanquam indigna viro Chriſtiano ac Theologo reprehendenda eſt. Si enim Scaliger ex Ariſtophanis ſimo maximam utilitatem nactus eſt, cur non aliqua etiam utilitas ex egregii Homeri, ut JCtus eum vocat, e) auro expectari debeat? Mirandum vero eſt, multos e Theologorum ordine græcam lingvam penitus fere negligere. Dantur nonnulli, qui hebraicam tractare malunt, cum tamen doctrina ſalutis in veteri teſtamento minus clare, quam in novo perſcripta ſit. Dantur etiam haut pauci, qui homiletica ſtudia maxime ſectantur, græcum teſtamentum, ex quo tamen evangelia epiſtolæque deſumtæ ſunt, negligentes. Si reſpiciamus genium ſeculi, quod magis externas homilias, quam internam eruditionem ac pietatem conſiderat, forte ſatis callide agere illi videbuntur, qui homiletica reliquis theologicis ſtudiis omnibus præferunt: ſed apud Deum tamen graviſſimæ negligentiæ rei fiunt.

a) monarchia Hiſpan. c. 10. b) Gerbers unerkante Sünden I Th. p. 1154. c) Scaligerana p. 38. d) Kirchen-Hiſtorie II, 16, 10, 8. e) §. 2. I. de I. N. G. & C.

§. XI. In *juris* ſtudio, quatenus illud forum tantum ſpectat & judiciorum formam, arbitrio legum cuivis reipublicæ propria-

priarum definitam, non maximum esse græcæ lingvæ usum, vel illud docere nos potest, quod multi celeberrimi & doctissimi Jureconsulti eam ignorarint. In eo itaque colendo non major hujus lingvæ scientia requiri videtur, quam illa, quæ in latina lingva colenda paulo ante requisita fuit. (A) Ad intelligenda enim vocabula græcæ originis perexigua ejus notitia sufficit. Loca Homeri aliorumque, quæ in jure occurrunt, sine magno detrimento ignorari possunt. Majores etiam nostri, qui juris studio superioribus seculis inclaruerunt, exemplo suo docere nos voluerunt, posse aliquem, ut cum barbaris barbare loquar, bonum esse juristam, qui non sit bonus græcista: illi enim, licet vastos commentarios juridicos conscripserint, ignorantiam tamen græcarum literarum suam satis eruditioribus posteris prodiderunt. (B)

(A) Objicies forte: at pleræque novellæ græco sermone scriptæ sunt, & interpretatio earum latina non ubique optima est. Fateor. Sed quid juvabit magnum laborem ad intelligendas novellas græcas impendisse, cum in foro illas citans non audiatur?

(B) Inter alia ignorantiam eorum, qui jus Romanum tineis & blattis, quibuscum luctabatur, eripuerunt, ex eo videmus, quod pandectas loco græci. π per *ff* citarint, & inter nomina fœminini generis retulerint. a)

a) v. Vossii Grammat. I, 19.

§. XII. Cum eos, qui *politicis* studiis operam navant, vulgo ad juris cultorum classem referant, de illis etiam hoc loco pauca dicemus. Statuimus autem, posse aliquem bonum politicum evadere sine græcæ lingvæ studiis: cum doctrinam politicam, quæ in scriptoribus græcis reperitur, haut pauci ex interpretationibus haurire non infelici successu studuerint. (A) Magis tamen profuturum politices cultori, si ex ipsis græcis autoribus, non ex interpretibus, formam & mutationes veterum rerumpublicarum, leges item earum, disciplinamque sive civilem, sive militarem addiscat, inprimis vero Aristotelis & Platonis de constituenda republica præcepta patrio ipsorum sermone legat,

legat, non negamus. Verum nemini, præsertim si ingenio utatur non felicissimo, svademus, ut propterea græcæ lingvæ multo labore insudet. Absoluta enim necessitate ea re non opus est. (B) Nam quid in hac lingva norat Richelius? tamen ille artibus suis universam fere Europam partim ad iram, partim ad admirationem sui commovit. Et Portocarrerus Burboniam domum multis regnis ditionibusque, absque dubio non adjutus his studiis, auxit: cujus politicæ artes licet malæ sint & detestandæ, at politicas tamen artes eas esse fatendum est.

(A) Ita Machiavellus, quem omnes vituperant, & omnes fere imitantur, impiam scientiam suam ex interpretatione Aristotelis a) maximam partem hausit. Probabile enim est, illum, cum latinis literis parum tinctus esset, b) græca multo minus intelligere potuisse.

a) Dictionaire de Monſ. Bayle dans l'article Machiavellus. b) Monſ. Bayle l. c.

(B) Patet exinde, illos, qui principibus colendam græcam lingvam esse censent, a) haut parvo errore duci. Cur enim his superfluis onerentur illi, qui, ut necessaria discant, haut raro tam ægre adducuntur? Sed forte hac admonitione hodie non opus est: plerique enim nobiles principesque his studiis nunquam admoveri solent, &, si magni forte æstiment græcam lingvam, non aliam illud ob causam faciunt, quam quod ea nullam molestiam ipsis facessiverit.

a) v. Barlæi methodum studiorum præscriptam Ducibus Megapolensibus pag. 348.

§. XIII. Post Jureconsultos in Academiis *Medicorum* ordo est: qui omnino, si Hippocratem, Galenum aliosque legere velint, accuratiore græcæ lingvæ cognitione opus habent. (A) In hoc enim studio sermo autoris magis, quam in aliis studiis, interpretationi præferendus est. Innumera etiam vocabula græca in medicina occurrentia poscunt, ne proletarius labor huic lingvæ tribuatur.

(A) Silentio non præteribo abusum quendam græcæ lingvæ, quem in medicis Gallus quidam a) notavit: dum nimirum terminos græcos apud imperitos ejus lingvæ vana jactantia subinde crepant. Ridi-

culam historiam hac de re memoratus autor refert. In Gallia dicebat medicus quidam ad ægrotum: faciendam esse in corpore ipsius *phlebotomiam*. Eo audito, ægrotus ingenti terrore perculsus tale remedium adhiberi vetabat, metuens, ne forte medicus, quod interdum fieri solet, experimentum quoddam antea incognitum suo in corpore facere vellet. At cum chirurgus postea terribile vocabulum vernacula lingva interpretatus esset, ægrotumque docuisset, inaudito hoc nomine notissimum medendi genus significari, Panicus terror in risum jocumque tandem vertebat.

a) dans l'art de plaire dans la conversation p. 55.

§. XIV. Pergimus ad *philosophiam:* in qua qui solidam eruditionem e veterum monumentis sibi comparare gestiunt, in græca lingva etiam solidam sibi eruditionem omnino comparare tenentur. In legendis enim libris philosophicis Platonis, Aristotelis, Plutarchi reliquorumque summorum virorum quantum præstet suis, quam Marsilii Ficini, Casauboni, Xylandri aliorumque interpretum oculis cernere, ii testantur, qui ipsi hanc rem experti sunt. In omnibus fere reliquis etiam artibus ac scientiis scriptores græci excellunt. Ita in *historia* Polybius, Herodotus, Thucydides & quamplurimi alii encomia doctissimorum & prudentissimorum virorum jure suo meruerunt. In *matheſi* Euclides & reliqui, in *miscellaneis* rebus Plutarchus, incomparabilis autor, aliique in aliis studiis (A) magnam utilitatem præstare possunt: quos singulatim percensere neque necessarium est, neque temporis, quod nobis relictum est, ratio patitur. Sed ad hos legendos latina interpretatio ob causas supra memoratas fere sufficere videtur.

(A) Petrus Francius tam late extendit græcæ lingvæ usum, ut in gallica etiam lingva illum se exerere, & græca si intereat, illam quoque interituram fore adfirmet. a) Non nego, me fundamentum hujus sententiæ non perspicere. Forte respicit ad illud, quod paulo ante b) dixerat, gallicam lingvam filiam esse græcæ. Sed filias tamen matribus superstites esse quotidie videmus. Ut taceam, gallicam lingvam adeo græcæ dissimilem esse, ut neque mater filiam, neque hæc illam agnoscat. Derivationes certe vocum gallicarum a græcis factæ sæpe haut

haut parum ridiculæ sunt: exempli gratia quando Perionius vocabulum *maison* a græco οἶκος deduxit, c) eadem fere dexteritate, qua Italus vocem *alfana* a latino *equus*, d) & qua Germanus quidam verbum *jagen* a *Nebucadnezar* derivavit. Horum postremus talis usus fuit artificio: ex duplici *ne*, quod in Nebucadnezar occurrit, fecit *ja*, quoniam duæ negationes apud Latinos adfirmant, *bucad* abjecit, & *zar* mutavit in *gen*. Judicet lector, quænam derivatio in tribus his lingvis ceteris sit ingeniosior.

a) p. 131. b) p. 107. c) Scaligerana p. 239. d) l'art de bien penser du Pere Bouhours p. 152.

§. XV. Vidimus in hac dissertatione neque longa neque erudita, græcam lingvam nonnullis magnum, nonnullis exiguum, omnibus vero aliquem usum præstare posse. Optandum esset, ut priores officio suo in hac lingva colenda sedulo satisfacerent. Posterioribus, si illam non calleant, a supra citatis principibus eruditæ reipublicæ neutiquam propterea jus civitatis denegari potest. Si vero quis inter hos posteriores tempus aliquod subcisivis horis laudatæ lingvæ tribuere velit, idque absque necessariorum studiorum dispendio fiat, non exiguam illi laudem tribuimus, tantum abest, ut reprehendendum in hac re ipsum esse putemus.

S. D. G.

72 Mil.

01 A 6610

ULB Halle 3
003 108 295

Sb.

VD 18

VD 17
VD 18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-737549-p0023-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-737549-p0024-0

67

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

# USU GRÆCÆ LINGVÆ,

PERMITTENTE AMPLISSIMA

FACULTATE PHILOSOPHICA,

*d. XXVI MAJI MDCCVI*

A PRÆSIDE

M. JOH. VVOLFGANGO Trier,

*MOERA FRANCO,*

ET RESPONDENTE

PHILIPPO JACOBO Lindner,

*LIPSIENSI*

PUBLICO EXAMINI SUBJICIENDA.

---

*LIPSIÆ,*

LITERIS FLEISCHERI JUNIORIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-737549-p0025-6